

gumenta a Synodis deducta pro gestatione Parruccae in casu necessitatis; in Synodo quippe Bononiensi anni 1698 lib. 3. cap. 1. prohibetur Clericis adultrinum Capillitium, sed subditur limitatio: *nisi ex causa nobis vel Vicario nostro cognita indulgendum ad tempus arbitramur*; et in Synodo Asculana anni 1719 cap. 20. n. 3. fictitia Coma Clericis vetatur, *nisi ex justa et rationabili causa dispensationem impetraverint*.

Promotor econtra Fiscalis Curiae Episcopalis Melphiten. excipiebat et excipit, primo: inter suae Dioecesis Clericos Parruccae gestationem esse prorsus inusitatam; secundo: unicum esse Gadaletam, qui eam audeat velle deferre; tertio: se praevidere multos alios eam esse assumpturos, si gestatio Gadaletae indulgeatur; quarto: eum prospera valetudine frui; quinto: non esse ullo modo deferendum attestationsi Medicorum utpote ad placitum exaratae, et multo magis, cum in aliis rebus deprachensum fuerit eosdem Medicos nimium indulsisse genio requirentium. Addi posset, quod cuicumque morbo, cui Coma fictitia opitulari potest, aequale remedium parari valet ex usu pileoli, uti prosequitur *Thiers in citato tract. p. 490*, ubi refert, Innocentium IV. Monachis S. Benedicti, qui erant Canonici Ecclesiae Cantuariensis, permisisse, ut tempore Officiorum Divinorum pileolis uti possent ad morbos avertendos, quos contraxerant ex Ecclesiae humiditate Officium nudo capite recitando, et in eo demum, quod spectat ad supra relatam licentiam clar. mem. Card. Grimaldi, praetermissis responsionibus, quae ex ejus lectura facile colligi possunt et salva reverentia, quae ejus nomini et dignitati jure merito debetur, dici potest, eum suas facultates excessisse; non potest etenim Episcopus dictam concedere licen-

tiam, uti habetur *ex canone: nullus Episcopus 57. de consecrat. dist. 1.*, et facit Decretum Generale Congregationis Sacrorum Rituum impressum in principio Missalis; ibi: *nemo audeat uti pileolo in celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine*; et late prosequuntur *Gavant. ad rubr. Miss. par. 2. tit. 2. de ingressu Sacerdotis ad Altare lit. F., Theophil. Raynaud loc. cit. §.: Nunc econtrario; Monacell. in formul. legal. tom. 4. p. 32 n. 14.*

Anno quoque 1690 de ordine s. m. Alexandri Octavi examinatum fuit in Congregatione particulari: an *subsisteret doctrina Pasqualig de sacrificio novae legis quaest. 83., quod Missa celebrari posset cum Parrucca, licet modesta?* Et responsum fuit: *Negative, uti habetur apud Ursayam instit. criminal. lib. 1. tit. 10. §. 4. n. 51.* Tempore item s. m. Innocentii XII. Encyclicae literae ad Nuntios scriptae sunt, ut Ordinarios admonerent, ne id fieri permitterent in suis Dioecibus, uti habetur apud *Anaclet. lib. 3. tit. 1. §. 3. n. 93.*, et sacra haec demum Congregatio die 6. Jun. 1716 instantiam rejecit Sacerdotis supplicantis pro facultate Missam celebrandi ficto capillitio propter falsi humoris labem, qua caput laborabat.

His stantibus dignabuntur EE. VV. decernere:

I. *An Edictum Reverendiss. Episcopi substineatur? Et quatenus affirmative;*

II. *An sit toleranda gestatio Parruccae in casu, de quo agitur?*

S. C. resp.

ad I.: Affirmative;

ad II.: Negative in casu, de quo agitur.

Die 8. Aug. 1722.

PARTICULAE S.

(Renovat.)

Vd.: SS. *Sacramentum* (renov.).

S. PASCHALIS BAYL.

(Dies festi.)

Vd.: *Calendar. Congreg. SS. Redempt.* (decr. n. 4842). *De ejus Canonis.* vd.: Bull. Innoc. XII. die 15. Julii 1691 (Bull. r. t. XII. p. 76.).

Pius PP. VI.

Nuper ad preces carissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum regis catholici emanavit a Congregatione VV. FFr. Nostrorum S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositorum decretum tenoris, qui sequitur videlicet:

URBIS ET ORBIS.

„Ad enixas piasque preces per equitem Josephum Nicolaum de Ozara nomine serenissimi regis Hispaniarum sanctissimo Domino nostro Pio PP. VI. porrectas pro extensione ad Ecclesiam universalem officii et missae de comm. conf. non pont. cum oratione et lectionibus 2. n. propriis sancti Paschalis Baylon jam adprobatis, Sanctitas Sua ad infrascripti secretarii relationem petitis benigne annuens supradictum officium cum missa in memoriam praedicti sancti Paschalis, a clero tam saec. quam regulari utriusque sexus Ecclesiae militantis, qui ad horas canonicas tenentur, quotannis die 17. Maii sub ritu duplicis minoris servatis breviori ac missalis Romani rubricis, recitari ac respective celebrari praecipit.“

Die 13. Martii 1784.

Loco † Signi.

J. Card. Archintus praefectus
C. Aioldi S. R. C. Secretarius.

Cum autem, sicut dictus Carolus rex Nobis subinde exponi fecit, ipse decretum hujusmodi, quo firmiter subsistat, apostolicae confirmationis Nostrae patrocinio communiti plurimum desideret, Nos specialem ipsi Carolo gratiam facere volentes supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati decretum praecursorum auctoritate apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illique inviolabilis apostolicae firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregatione Cardinalium.

Datum Romae die 30. Mart. 1784.
(Bull. r. Continuatio t. VII. p. 273.
Ed. Rom. 1843.)

PASSAVIENSIS ECCLESIA.

De Pallio et cruce praeferenda Episcopo hujus Ecclesiae, vd.: *Constitut. Bened. XIII.* Cal. Jun. 1728.
(Bull. r. t. X. p. 357. Ed. Luxbg.)

PASSIO.

1) Cantor.

Caeremoniale non tollere immemorabiles et laudabiles consuetudines; et licet in eo dicatur, quod Passio in Dominica Palm. et fer. VI. Parasceve decantetur a Cantoribus, non ex hoc prohibetur, quominus a *Canonicis* decantari possit et debeat, maxime, ubi viget haec consuetudo. n. 458 die 7. Julii 1612.

Curatos Ecclesiarum paroch. ss. Jacobi et Michaëlis civitatis Hispanen. obligatos esse et teneri in die dominico Palmarum canere passionem Domini. n. 2351 die 19. Decb. 1665.

A Magistro Caerem. *Hispalen.* relatum est: In missis hebdom. majoris canitur aliquando passio non solum a Subdiaconis, verum et a laicis et multoties ab uxoris contra Caer. (lib. II. cap. XXI.) Adest etiam consuetudo, ut in missa

praecepta servant ad sexcentos redacti; unica quae superfuit Parochialis et Mater Ecclesia damna tulit quam plurima: Sacerdotes et Ministri eam deseruerunt, pavementum, scamna et sacra supellex attrita erant et absumpta, superstite tantum Sacerdote, qui Parochi munera ferret. Culmensis Episcopi, ut Ecclesia pristino splendori restitueretur, eam Patribus Congregationis Missionis concesserunt, qui veteri, in quo jacebat, squallore detergero, quantum temporis iniquitas patiebatur, ad antiquum genium et primam dignitatem eam revocarunt, restituto pavimento, parietibus incrustatis, scamnis constructis et renovato ornatu et vestibis sacris: deerat, ut populi frequentia et erga matrem cultus revocaretur. Episcopi in Visitatione editis Decretis restituerunt jus privativum canendi lamentabilem Sanctissimi Salvatoris nostri Jesu Christi Passionem diebus Dominicis Quadragesimae, quod jus ob Ecclesiae Matris miseram conditionem Patribus Dominicanae et Franciscanae Familiae, primis Feria quarta, aliis vero sexta permissum fuerat, canebantque Polonica lingua et ritmo versu contextam Passionem. Paruere Decretis Franciscani, recusarunt Dominicani, impetrata inhibitione a Nunciatura Polonica, qua vetebatur Patribus Missionis, ne canere pergerent Passionem diebus dominicis; obtinuerunt tamen Patres Missionis, ut inhibito revocaretur et utraque Ecclesia Parochialis nempe et Sancti Dominici stetit in possessione canendi; sed putantes Patres Missionis obstare legem Tridentini, quae, sublata quacumque etiam immemorabili consuetudine, jus asserit Parochialibus Ecclesiis Sacrorum solemniter agendorum et populum Sacro eloquio, piis precibus aliisque ritibus ad pietatem pertinentibus, docendi et pascendi, expedito coram A. C. Monitorio prohibuerunt Patribus Domini-

canis, ne possessionem servarent canendi. Nihil permoti Dominicani inchoatum cursum tenuerunt, donec oblato a Patribus Missionis Libello Sacratissimo Principi Nostro data fuit hujusce rei cognitio Amplissimis Patribus, a quibus auditus, ut fieri solet, Episcopus Culmensis, hic secundum Patres Missionis et Parochialem Ecclesiam respondit. Proponitur nunc itaque Dubium: *An liceat Patribus Sancti Dominici canere in diebus Dominicis Quadragesimae Passionem Domini Nostri Jesu Christi, sive potius id private spectet ad Ecclesiam Parochialem Congregationis Missionis et in Feria quarta ad dictos Patres Dominicanos in casu?*

S. C. resp.: Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Die 19. Novb. 1746.

4) Episcop. et Clerus infra Passionem.

Episcopus assistens paratus vel cum cappa Missae Palmarum, cum non possit stare, dum cantatur tota Passio, non debet sedere neque genuflectere et in casu impotentiae debet abstinere ab interventu saltem missae. n. 3786 ad 3 die 28. Apr. 1708.

Vd.: *Episcopus assistens missae sol.*

Episcopus celebrans et omnes, cum inchoatur Passio, surgunt et stant (in Parasc.) detecto capite usque ad ejus finem; et Episcopus apud altare in cornu Epistolae legit Passionem usque ad finem versus aliquantulum ad ipsos Canentes et Ministri s. stant juxta Episcopum, dum legit Passionem, pro situ loci in plano ordine suo. Ad verba: *Et inclinatio etc.* Episcopus et omnes in locis suis genuflectunt.

Caer. Ep. I. II. c. XXV. n. 17. 18.

Celebrans, Episcopus assistens et omnes, cum inchoatur Passio, surgunt

et stant detecto capite usque ad ejus finem.

Ibid. c. XXVI. n. 5.

Cum Passio inchoatur, Celebrans cum suis assistentibus legit Passionem tenens palmam in manibus et stans in cornu Epistolae; Episcopus assistens et omnes surgunt detecto capite palmas manibus tenentes usque ad finem Passionis. Dum recitatur: *Jesus autem etc.*, Episcopus in sua sede et omnes in suis locis genuflectunt, etiam ipsi Cantores et Capellani.

Caer. Ep. I. II. c. XXI. n. 16.

Cf.: *Palma.*

5) Ubi legenda?

a) Ab Episcopis.

Vd.: *Passio* (Episcop. et Clerus etc.)

b) A Presbyteris.

Sacerdotes in missis *privatis* Passionem D. N. non a cornu Epistolae sed a cornu Evangelii recitare debent. n. 1523 ad 2 die 26. Novb. 1644; n. 2241 ad 1 die 4. Aug. 1663.

Celebrantem in die Palmarum legere debere *Evangelium* in cornu Evangelii, *Passionem* vero in *cornu Epistolae* etiam coram Episcopo, ut praescribit Caer. lib. II. cap. XXI. n. 879 ad 3 die 28. Sept. 1630.

Ad dubium: An iis in Ecclesiis, in quibus ob Sacerdotum defectum Celebrans in hebdomada majori decantare cogitur partem Passionis, illam decantare debeat in cornu Evangelii?

Emi itaque ac Rmi P. ... rescribendum censuerunt:

„Affirmative.“

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 2 die 12. Martii 1836.

Ad dubium: An in Missa Conventuali sive cantata sive plana Passio legi debeat in cornu Epistolae?

Emi itaque ac Rmi P. ... rescribendum censuerunt:

„In Missa solemniter tantum.“

Atque ita rescripserunt ac servandum esse mandarunt. n. 4777 ad 3 die 12. Martii 1836.

Vd.: *Passio* (Cantor.).

Celebrans (non Episcopus) stat apud altare in cornu Epistolae et legit secreta Passionem usque ad finem versus aliquantulum ad ipsos canentes Passionem.

Caer. Ep. I. II. cap. XXVI. n. 5.

Vd.: *Pass.* (recit. etc.)

6) Recitanda ex oblig. testament.

Relicto Bano cum onere ... terminata missa post Evangelium: „*In principio etc.*“ recitandi *Passionem secundum Joannem*, supplicavit Capitulum Colleg. Rosigliani Dioecesis Conversanen. pro declaratione: an dicta Passio recitanda sit post dictum Evangelium alibi per Celebrantem?

S. C. resp.: Recitandam esse post finem missae, ex utrisque vestibus sacerdotalibus et cum sola cotta in altari vel in Sacristia. n. 2490 (sine dato; verisimile 31. Aug. 1669.).

De tempore, cujus initii memoria non extat, Capitulum Collegiatae Aquae-vivae in districtu Dioecesis Baren. Legatum habet ex traditione cum adjuncto onere Sacerdoti conventualem Missam celebraturo recitandi Passionem D. N. J. Chr. secundum Joannem singulis diebus a die Festo Resurrectionis Domini usque ad Festum S. Lucae Evangelistae: dum autem id constanti traditione fertur, foundationis documenta omnino deficiunt et ritus istiusmodi nedum Ecclesiasticae Liturgiae incongruus sed etiam Capitulo nimis gravis videtur, supplices ideo Capitulum et Canonici SSmo D. N. Pio VII. P. M. dederunt preces postulantes dicti oneris absolutionem seu dispensationem. Et S. S., attentis expositis aliisque pecu-

liaribus circumstantiis, Capiti Oratoris precibus ita annuendum esse censuit, ut singulis Feriis VI., conventuali Missa absoluta, Celebrans, sacris vestibus in Sacristia depositis ac supperpelliceo tantum indutus legat D. N. J. Chr. Passionem secundum Joannem in adimplementum dicti oneris, quaecumque fuerit illius origo; exceptas tamen ab hac lege voluit Feras VI. occurrentes infra Octavas privilegiatas vel in quibus fiat Officium de Festo duplici I. vel II. cl. vel et quandoque de Vigilia Nativitatis D. N. J. Chr., in quibus pro oneris implemento sat erit specialis in Memento mortuorum commemoratio pro fundatore vel fundatoribus. Quod si in fundatione habeantur clausulae et conditiones, quae derogatione et dispensatione indigeant, iisdem per praesentem commutationis formam derogavit ac dispensavit. Quibuscumque in contrarium facientibus minime obstantibus.

N. 4567 die 11. Julii 1820.

PATENA.

1) In Communione Fidelium.

Patena suppositionem per Sacerdotem, cotta indutum, in Communione gener., quae per Dignitates agitur, retinendam (in Ecclesia Cath. Andrien.). n. 2127 die 3. Sept. 1661.

Celebrans, qui non habet usum pontificalium, in distribuenda s. Communione non potest sibi teneri facere per Subdiaconum patenam. n. 2791 ad 2 die 13. Junii 1676.

Vd.: *Assistens Sacerdotis noviter consecrati.*

2) Consecratio a Sacerdote.

Vd.: *Oleum s.* (Consecr. et temp., decr. Pii VI. t. II. p. 425.)

3) Crux.

Signum cum Patena faciendum est a Sacerdote a fronte ad pectus, id est, signum integrum crucis, dum dicit Orationem: *Libera nos quaesumus Domine.* n. 677 ad 4 die 13. Mart. 1627.

4) Defert. a Subdiacono.

Ad dubium: an Subdiaconus praeterquam in Missis defunctorum et Feria VI. in Parasceve Patenam tenere debeat?

S. C. resp.: *Nihil inovari.* n. 2082 ad 2 die 20. Novb. 1660.

Ad idem dubium S. C. resp.: *Archiepiscopus provideat.* n. 2083 ad 2 die 11. Decb. 1660.

Ad dubium: Utrum in II. et III. Missa cantata in die Nativ. Dom. Subdiaconus debeat sustinere Patenam, quum ipsa prius superposita fuerit Calici nondum purificato et reservato in Tabernaculo post I. Missam vel potius eam relinquere super Corporale et agere ut in Missa pro Defunctis?

S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Sustinendam esse de more Patenam.“

Atque ita rescribere rata est et declarare. n. 5111 ad 6 die 11. Sept. 1847.

Vd.: *Subd.* (tenet Pat.)

5) Execratio.

Vd.: *Execratio calicum etc.*

6) Osculum.

Post signum crucis factum dicta oratione: *Libera nos quaesumus Dom. etc.* Patenam esse deosculandam. n. 677 ad 4 die 13. Mart. 1627.

Patena osculanda est a Celebrante, cum dicitur: *Da pacem etc.*, in extremitate seu ora Patenae congruen-

tius. n. 3025 ad 5 die 24. Julii 1683.

Cf.: *Osculum in porrig. Patena etc.*; *Osculum* (in Parasc.)

PATER NOSTER.

In Officio.

Vd.: *Officium* (Pater noster.)

PATER REVERENDE.

Vd.: *Reverend.*

PATRIA SANCTORUM.

Vd.: *Cognomina Sanctor.*

PATRIARCHAE RELIGIONUM.

Qui sunt?

Ad dubium: Quinam pro Patriarchis Religionum intelligendi sunt?

S. C. resp.: Intelligendos esse illos, de quibus Ecclesia Cathol. celebrat Officium et Missam. n. 4247 ad 3 die 7. Sept. 1754.

S. PATRICIUS.

Quid mutandum in ejus missa?

Vd.: *Missale* (Correctio D. n. 22.)

PATRINUS.

Vd.: *Assistens; Presbyter assist.*

PATROCINIUM S. JOSEPH.

1) Antiphonae.

Vd.: *Patroc. s. Jos.* (transl. decr. n. 4442 ad dub. 2.)

2) Festum.

URBIS ET ORBIS.

Inclytus Patriarcha Joseph, quem Omnipotens Pater singularibus gratiis auxit ac charismatibus coelestibus ab-

unde cumulavit, ut unigeniti Filii sui putativus Pater esset ac verus Sponsus Reginae Mundi et Dominae Angelorum, tam sublimis electionis partes omnes muniaque adeo perfecte explevit, ut boni fidelisque Servi encomium meruerit et praemia. Etenim memor semper praecellentis dignitatis suae ac sanctitatis nobilium officiorum, quae a Divina Sapientia praeficiebatur, ipsius Dei consiliis et voluntati alacritate propemodum inenarrabili in omnibus indesinenter paruit placensque Deo factus est dilectus, donec gratia et honore coronatus in Coelis novum susciperet officium, nimirum ut copiosis meritis et orationis suffragio miserrimae subveniret hominum conditioni, atque validissima intercessione, quae possibilitas humana obtinere nequit, Mundo impetraret. Hinc passim misericors veneratur ad Deum Mediator efficaxque Patronus, ejusque Patrocinii Festum cum Officio ac Missa longe lateque instituitur Dom. III., quae a Paschalibus gaudiis occurrit. Verum quod unum adhuc exoptandum supererat, nimirum ut Officium Patrocinii S. Joseph de praeecepto ad universalem extenderetur Eccl., id Emus et Rmus D. Card. Constantinus Patrici a SS. D. N. Pio Papa IX. humillimis precibus proprio et aliorum S. R. E. Card. ac quamplurium etiam exterorum Fidelium nomine porrectis enixe imploravit. Quas quidem preces apprime conformes singulari pietati suae erga S. Josephum Apost. Benignitate excipiens S. R. C. Secretario, benigne in omnibus annuit praecepitque ut deinceps ab utroque Clero Urbis et Orbis sub ritu dupl. II. Cl. persolvatur Officium proprium cum Missa Patrocinii S. Joseph Dom. III. p. Pascha, qua impedita alio Officio potioris ritus vel majoris dignitatis, indulsit, ut Officium

privata cantetur *passio*, immo et etiam sine illa; solus enim sacerdos quilibet, quin Missam celebret, exit ad altare cum omnibus paramentis, ibique adest, dum statim Passio canitur.

S. C. resp.: Abusus omnino tolli debet. n. 2811 ad 8 die 16. Jan. 1677.

Ubi non viget immemorab. consuetudo, ut Evangelium Dominicae Passionis decantetur a Canonicis Collegiatorum in Dom. Palmarum et fer. VI. Parasc., ab Episcopo cogi non possunt ad illud decantandum. non obstante, quod ex immemorab. consuetudine decantetur a Canonicis Ecclesiae Cathedr.

S. C. C. 2. Julii 1718.

Feria III. et IV. Majoris Hebdomadae canitur Passio a duobus, sed vocem Christi dat ab Altari Sacerdos celebrans.

Et S. eadem C. respondendum censuit:

„Permitti posse defectu Ministrorum.“

Atque ita rescipit die 10. Januarii 1852. n. 5166 ad 2.

Tres, qui Passionem sunt cantaturi, dum cantatur Epistola et Tractus, parantur amictu, alba, cingulo, manipulo, stola ab humero sinistro pendente, coloris violacei, in sacristia et circa finem Tractus procedunt hoc ordine: Antecedit Caeremoniarius, tum ille, qui Evangelistae personam agit, portans sibi librum, deinde, qui turbam, ultimo, qui Christi, sequentibus tribus Capellanis cum cottis sine candelabris et sine incenso; factis altari et Episcopo reverentiis accedunt ipsi tres ad osculum manus Episcopi eodem ordine; nullam tamen petunt benedictionem; deinde descendunt ad locum, ubi cantant passionem versus cornu Evangelii seu in pulpito, secundum consuetudinem ecclesiarum. Et Capellani tres antedicti stant contra illos, quorum qui est medius, tenet librum, quem inter se mutant aequali spatio, dum recitatur Passio, prout Caeremoniarius

eos prius admonuit et in ipso actu, cum tempus est, eisdem significat nutu.

Caer. Ep. I. II. cap. XXI. n. 14. 15.

Dum cantatur Tractus tres Capellani seu Cantores, qui Passionem (*in Parasc.*) sunt cantaturi, parantur in Sacristia in habitu diaconali praeter dalmaticam, prout in Dom. Palmarum, coloris tamen nigri; circa finem Tractus procedunt eodem ordine cum tribus Capellanis sine candelabris et incenso et cantant Passionem, sed non osculantur manum Episcopi.

Ibid. cap. XXV. n. 16.; XXVI. n. 4.

Vd.: *Oscul. in Parasc.*

Lucana.

(Conc. Fr. C. 12. S. 24. De ref.)

Episcopus Lucanus in actu Visitationis Collegiatae Ecclesiae Sancti Martini Terrae Petrae Sanctae decretum fecit, quod in ea caneretur Evangelium Dominicae Passionis Dominica Palmarum aliisque diebus majoris hebdomadae, illis modo et forma, quibus canitur in Cathedrali Ecclesia, hoc est, quod Dominica Palmarum et Feria sexta in Parasceve caneretur a Canonicis et Feria tertia et quarta caneretur a Capellanis, ita enim practicari audiri in Cathedrali Ecclesia Lucana et hoc ipsum observatur etiam in nostra Basilica Vaticana; utque Decretum suum haberet executionem, idem Episcopus ultra mulctam scutorum decem locis piis applicandam, in casu contraventionis poenam apposuit suspensionis a Divinis ipso facto incurrendae.

Contendunt Canonici Decreta haec nullatenus subsistere, tum quia ipsorum Ecclesia fuit erecta in Collegiatam anno 1673 et Testes deponunt Evangelium Dominicae Passionis fuisse ab eo fere tempore cantatum non a Canonicis sed a Capellanis, tum quia, cum Canonici sint sex et in Dominica

Passionis Missa cantetur a Praeposito, cui duo Canonici Diaconus et Subdiaconus ministrare tenentur, si tres alii Canonici canere deberent Passionem, unus tantum ex Canonicis in Choro remaneret, quod videtur absurdum.

Additur, quod in Caeremoniali Episcoporum lib. 2. cap. 25. pagina: mihi 326 dicitur, quod Episcopo celebrante illique assistentibus duobus Canonicis, Diacono et Subdiacono, Feria sexta in Parasceve Passio canatur a tribus Capellanis seu Cantoribus habitu diaconali indutis, quod ipsum legitur lib. 2. cap. 26. p. 387; cumque in Sacrorum Rituum Congregatione alias disputatum fuerit: an admittenda esset consuetudo immemoralibus Cathedralis Viterbiensis, in qua, Episcopo eoque impedito celebrante Missam prima Dignitate, Canonici canere consueverant Passionem Dominica Palmarum et Feria sexta in Parasceve, ex quo Caeremoniale obstat huic disciplinae?

Sacra Congregatio die 7. Julii 1612 respondit: Caeremoniale non ob stare et servandam esse laudabilem praedictam consuetudinem. Eadem Sacra Rituum Congregatio immemorabiles et laudabiles consuetudines Ecclesiarum per Caeremon. non prohibuit, et licet in eo dicatur, quod Passio in Dominica Palmarum et Feria sexta in Parasceve decantetur a Cantoribus, non ex hoc prohibetur, quominus a Canonicis decantari possit et debeat, maxime ubi viget consuetudo, quod a Canonicis decantetur, prout viget in Civitate Viterbiensi, quam consuetudinem omnino servandam esse censuit et declaravit.

Ex his etenim sequi videtur, quod cessante consuetudine Passio non sit a Canonicis canenda.

Adversus autem hanc Canonicorum praetensionem pugnat animadversio, quod inferiores Ecclesiae se unifor-

mare debent in sacris Caeremoniis stylo Cathedralis, cumque in Cathedrali Ecclesia Lucana Evangelium Dominicae Passionis cantetur a Canonicis Dominica Palmarum et Feria sexta majoris hebdomadae, idem etiam erit observandum in Collegiata Ecclesia, de qua nunc agitur. Cum Canonici Collegiatae dedignari non debeant facere id, quod fit a Canonicis Ecclesiae Cathedralis, uti ponderat Episcopus in sua informatione,

dignabuntur ergo EE. VV. discernere:

An Decreta, de quibus agitur, sint exequenda in casu?

S. C. C. resp.: Negative et amplius.

Die 2. Julii 1718.

2) Qui non debent cantare?

Per Vicarium Generalem Terlitii Nullius seu Juvenacen. Dioecesis S. R. C. exposito: quod Moniales Monasterii S. Clarae Terrae praedictae in Dominica Palmarum et Feria sexta in Parasceve majoris hebdomadae proxime praeteritae ausae fuerint juxta morem Collegiatarum et aliarum Ecclesiarum tam saecularium quam regularium in Missis solemnibus in earundem Ecclesiis celebratis turbam repraesentantes cantare in Passione partem ad turbam spectantem, S. R. C. demisse supplicatum fuit declarare:

An dictis Monialibus praedicta liceant? et quatenus negative: qua poena veniant puniendae?

Et eadem S. R. C. respondit:

„Prohibeat sub poena suspensionis et in posterum non permittat.“

N. 3745, die 17. Junii 1706.

Vd.: *Pass. (Cant. decr. n. 2811.)*

3) In Diebus Quadrag.

Culmen.

Bellis, incendiis et vastationibus eversa atque attrita Culma Urbs intra fines Borussiae in quamdam quasi solitudinem conversa est: Qui pura fidei